

Forfatter: Palladius, Peder

Titel: Udrag fra Peder Palladius' Danske Skrifter

Citation: Palladius, Peder: "Peder Palladius' Danske Skrifter", i Palladius, Peder: *Peder Palladius' Danske Skrifter*, udg. af Lis Jacobsen , H.H. Thiele, 1911-1926, s. 66. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-palladius01val-shoot-idm140153320371488/facsimile.pdf> (tilgået 24. april 2024)

Anvendt udgave: Peder Palladius' Danske Skrifter

nes nec graue sit eis uisitare ægrotos/ audire in confessione miseris etc.

Sed etiam estis illi presbyteri/ de quibus ita subdit Paulus/ Maxime qui laborant in verbo et doctrina. Non significat
 5 sanctus Apostolus priores presbyteros esse sine verbo et doctrina/ quales presbyteros non debet agnoscere Ecclesia Christi/ qui potius Turcæ essent quam presbyteri/ sed emphasis est in verbo/ laborant/ cuius significatio latinis non est incognita. Vobis enim incumbit ut sitis solliciti pro aliis Ecclesiis/ pro
 10 Pastoribus/ pro doctrina/ pro || summis illis conscientiarum casibus/ ut contradictoribus et hæreticis scripto et verbo obturatis os cum omni modestia et doctrina/ ut explicetis scripta prophetarum et apostolorum sincere et secundum fidei analogiam/ ut sciatis linguas quibus scriptæ sunt nobis sacræ literæ/
 15 aut illos qui sciunt propinque consulatis/ ut sitis ab omni alia sollicitudine victus et negotiorum separati/ et huic vni Ecclesiarum uestrarum negotio intenti/ contra Satanam et mundum duces exercitus domini etc.

Quidam cum non possint ista præstare aut ad talia non
 20 sint vocati/ tamen sibi placent de nomine Episcopi/ quod per Papistas factum est pompæ nomen/ sed hoc quod dixi vere est laborare in verbo. Egregia dona Christi sunt et alii quos Paulus vocat Ephes. iiii. Pastores et Doctores/ sub nomine
 25 doctorum etiam comprehendens catechistas et vel rurales || apud nos ædituos qui pueros sincere docent catechismum/ in quorum numero sunt et Scholastici præceptores catechismum docentes. sed magis egregia dona sunt Christi ascendentis/ quorum vos pars estis/ de quibus ibidem Apostolus ait. Quosdam dedit Apostolos/ alios prophetas/ alios Evange-
 30 listas. quibus subdit quos diximus.

His donis glorificati Christi indiget Ecclesia/ ex his edificatur. ut clarissime illic Apostolus docet. Quando autem inquam hæc ita se habent admoneo et obsecro vos dominos et fratres meos ut saluti et paci studentes/ curetis apud omnes
 35 pastores ut catechismum doceant diligentissime/ et repetant a vulgo verba simplicissima eius quemadmodum hic scripta